

Pembroke 25 Sermo 56 (fols. 129r–129v)

.lvi. OMELIA IN SOLEMNITATE OMNIUM SANCTORUM . IN KALENDIS
NOVEMBRIS .

LEGIMUS in aecclesiasticis historiis fratres karissimi .
quod sanctus bonifatius qui quartus a beato grego
rio romanę urbis episcopatum tenebat . suis pre
cibus a focato cesare impetrauit donare ecclesie christi
templum idolorum romae quod ab antiquis phanteon
ante uocabatur ; quia hoc quasi simulacrum omnium
/129v/ uidebatur esse dedica`t`um¹ . In quo eliminata omni spur
citia fecit aecclesiam sanctae dei genitricis atque omnium
martyrum christi . ut exclusa multitudine daemonum .
multitudo ibi sanctorum in memoria haberetur . Et plebs
uniuersa in capite kalendarum nouembrium . sicut
in die natalis domini . ad aecclesiam in honore omnium sanctorum
consecratam conueniret ; ibique missarum solemnitate
á presulæ sedis apostolicę caelebrata . omnibusque
rite perfectis . unusquisque in sua cum gaudio remearet .
Ex hac ergo consuetudine sanctę romanę ecclesie . crescen
te religione christiana decretum est . ut aecclesiis dei
quę per orbem terrarum longe lateque construuntur .
honor et memoria omnium sanctorum in die qua prediximus
haberetur . Ut quicquid huma`na` fragilitas per ignoran
tiam uel negligentiam seu per occupationem rei secu
laris in sollempnitate sanctorum minus plene peregisset . in hac
sancta obseruatione solueretur . quatenus eorum patroc
iniis protecti . ad superna gaudia caelorum peruenire ualea
mus . Largiente domino nostro iesu christo . qui cum patre
et spiritu sancto . uiuit et regnat in secula seculorum amen .

¹ dedica`t`um corrected from decicatum?